
OJ
INTER FOLIA FRVCTVS

ACADEMIAE
GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR ET PROFESSORES

COLLEGAE SUO CONIUNCTISSIMO

CHR. GUIL. MITSCHERLICH D.

ELOQUENTIAE ET POESEOS PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO
REGI A CONSILIIS AULAE

QUINQUAGINTA ANNOS
IN DOCENDARUM DISCIPLINARUM PHILOLOGICARUM
PUBLICO MUNERE
FELICITER EXACTOS
GRATULANTUR
PRIDIE IDUS IANUARIAS A. MDCCCXXXV.

Horatii locum, epist. II, 1, 170 . . . 176.,
commentatus est C. O. Müller.

GOTTINGAE,
TYPIS DIETERICHIANIS.

Horatii versus, in prima secundi libri epistola, 170 . . . 176. :

Aspice, Plautus
Quo pacto partis tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi:
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis,
Quam non adstricto percurrat pulpita socco;
Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus, cadat an recto stet fabula talo:

iam diu est, quod interpretes poëtae ita vexarunt, ut ne hoc quidem satis dilucide expedire potuisse videantur, laudenturne an vituperentur ab Horatio Plautus et Dossennus. Illud probarunt ex antiquioribus interpretibus quidam: in hanc sententiam ierunt recentiores tantum non omnes; sed etiam hanc magnas afferre difficultates, si rem penitius introspexerimus, negari non poterit. Est autem locus hic in epistola, quam anno u. c. DCCXLIV scriptam esse, et *Ianus clusus*, in cuius mentionem poëta v. 254. incidit, et alia signa evincunt, a Massono, Q. Horatii Vitae p. 360., docte exposita. Hanc eclogam Augustum Horatio quodammodo *expressisse*, Suetonius ille in Vita Horatii (p. 50. ed. Wolf.) refert: quod quomodo factum sit, ex ipsa epistola, si totam eius οἰκονομίαν mente comprehenderis, intelligi poterit. Nam quod multi narrant, Augustum ab Horatio nihil nisi, ut laudes suas pangeret, postulasse atque sic ei hanc epistolam extorsisse, id mihi et Augusto indignum et ad sententiarum nexum explicandum parum esse videtur. Augustum, ponere malim, miratum esse, quamobrem Horatii poësis intra tam

angustos fines se contineat, atque in iis generibus subsistens, quorum Horatius primus fere inter Romanos auctor extiterat, dramaticam et epicam poësin, a Romanis tanto iam successu inchoatam, suo ingenio excolere fastidiat: praesertim in tanta temporum felicitate, et non externae tantum et fabulosae, sed etiam domesticae et recens partae gloriae affluentia. Horatius contra, qui sibi suoque genio unice vivere cupiens officia illa, quae sibi iniungebantur, omnibus modis defugere secum statuerat, ita se excusat, ut primum nihil nisi antiquum in poësi populum admirari contendat, nullumque post Ennium et Pacuvium poëtam epicum et scenicum Romanis placere posse significet (v. 1 . . . 102.). Quo excusationis loco Horatium, ex multis et gravibus argumentis existimari potest, licentius et immodice uti (ut προφασιζόμενοι solent): quanquam fuisse tum Romae factionem quandam literatorum hominum antiqua sola probantium, cuius sectae usque ad Persii tempora vestigia persequi licet (v. Sat. I. v. 76.), Mansoni (de Horatio iudice antiquorum poëtarum, in Scriptis miscellaneis p. 87.) contendenti haud equidem abnuerim. Ac Romanos, pergit poëta, olim a poësi alienissimos, nunc omnes, doctos pariter atque indoctos, versibus scribendis insudare: eumque furorem certe multis aliis insaniae generibus leviorem nec sine publicis commodis esse (v. 103 . . . 139.). Hic locus, mire mixtus et compositus ex iucunda cavillatione et praeclaro quodam dignitatis sensu, dupliciter facit ad Horatium excusandum, quippe qui se nimiae versificatorum turbae immisceri nolle, ac simul reipublicae carminibus suis (saeculare significat v. 132.) pro viribus iam profuisse innuit. Mox poëta, cum cursum disputationis ad scenicam poësin callide flexit, quomodo ex rusticis ludis iocisque etiam inter Italos homines proprium aliquod dramatum genus provenerit, postquam egregie demonstravit, in quam speciem illa veteris Italiae propago creverit, enarrat, cum Graecae artis spiritus eam afflasset. Atque in tragicis quidem poëtis imitandis mire placuisse sibi Romanos, natura sublimes et acres, modo lima uti didicissent. Comoediam autem facilem plerisque et expeditam rem videri, sed esse eo difficiliorem, quod vitae quotidianae imaginem exprimat, in qua nulla sit venia incuriae

(Hoc loco leguntur versus illi, quos supra proposui.) Eius autem, qui gloriae cupidine allectus ad scenam venerit, ardorem obtundi mox et restingui spectatorum ἀπειροκαλίᾳ, cuius eadem, quae etiam nostris temporibus extant, signa et documenta profert Horatius (v. 140 . . . 213.). His argumentis poëta iis se excusatum habere vult, qui scenicas ab eo fabulas flagitabant, ceterum vehementer laudare paratus, si qui poëta spectatorum animos dramatica ἀπάτῃ irretire fictisque affectibus tanquam veris commovere didicisset. Hinc se convertit ad eos poëtas, qui, ut legantur tantum, non ut in scena agantur, scribunt, quos praecipue ab Augusto erigendos et fovendos esse, si vates ille sibi suis rebus gestis dignos parare velit, admonet, atque sic in Virgilio et Vario factum esse, laudat Horatius. Horum enim poëtarum carminibus virtutem illius clarius expressam apparere quam statuis et tabulis; quorum laudes se ipsum aemulaturum et Augustum orbis victorem pacisque conditorem magno carmine celebraturum esse, profitetur, *si quantum cuperet, posset quoque* (v. 214 . . . 270.).

Hunc rerum in ea epistola propositarum nexum et finem cum consideramus, facile intelligimus, versus 170 . . . 176. eo pertinere, ut difficultas, qua etiam comoedia laboret, ostendatur et exemplo illustretur. Ac vertitur ex Horatii mente haec difficultas in eo, quod personis illis quotidianis et cuique notis perfecta veritas vitaeque accurata imago reddenda sit. Nunc Plautum tanquam exemplum diligentiae et constantiae in personis scenicis ubique servatae proponi, si qui forte comici illius poëtae admiratores contendunt: refragatur totus loci tenor, qui ad manifestam reprehensionem deducitur; nisi forte Dossennum tanquam malum poëtam Plauto tanquam egregio opponi statueris. Oppositionem autem nullo verbo indicat scriptor: imo eadem plane orationis forma Plautum et Dossennum connectit. Ac vero, licet Plautus amantes ephebos, patres attentos, lenones insidiosos satis graphice descripsisse videatur: multa tamen tenuiora et elegantiora lineamenta periisse intelligeremus, si archetypa earundem personarum apud Menandrum et Philemonem extarent. Plauto enim, fatendum est, personarum mores et peculiarem indolem hactenus curae esse, ut eas

lepore suo condire et iocorum effusam licentiam immiscere possit, sed paullo hebetiorem eum esse ad occultam illam vim comicam, quae non in singulis lusibus et facetiis, sed in universa personarum conformatione cernitur: non suo quidem sed populi et saeculi vitio. Itaque facile est ad credendum, Plautum ab Horatio, qui (in Arte poëtica v. 270.) numeros eius et sales omni laude indignos habet, etiam in personis sustentandis inconstantiae et negligentiae argui. At vero id, si iure quodam fiebat, sic quidem fieri non poterat, ut *aspicere* tantum poëta nos iuberet, *quo pacto* Plautus personas suas *tutatus esset:* nam etiamsi haec ironice dicta esse sumas, nihil tamen iis inerit praeter inanem quandam et infructuosam irrisionem. Huius autem loci erat ostendere, quid in arte comica assequi Plautus non valuerit, ut intelligatur quam arduum opus sit perfecta comoedia. Sed de hac re Horatius nihil. Idem contra, mira quadam inaequalitate, postquam Plautum obscuro illo et ambiguo modo notavit, Dossennus quidam quid in parasiti persona peccet et cur id peccet, diligenter et accurate exponit. Hacpropter Wielandius, qui plurimorum interpretum de hoc loco sententiam Germanicis versibus satis clare expressit, abiecta omni ironiae vel ambiguitatis specie, rudibus quibusdam sed apertis verbis indicat, quid vitii Plautus admisisse videatur *): sed haec nimium quantum distant ab Horatiani loci, nescio dicam, modesta simplicitate an moroso supercilio. Et hoc in causa fuisse puto, cur ii viri docti, qui Plautum ab Horatii reprehensione defendere studuerunt, nostrum locum nonnisi raro et quasi inviti tangerent, ambigentes scilicet et incerti, quid Ho-

---

*) Sic enim hunc locum reddit:

Unsre Dichter nehmen's
nun freylich nicht so scharf. Man sehe nur,
mit welchem groben Pinsel Plautus einen jungen
Verliebten, einen Schelm von Kuppler, oder einen
misstrauisch schwachen kargen Alten sudelt?
Was für ein Meister in — gefrässigem Schmarutzen
Dossennus ist?

ratius hoc loco Plauto crimini dederit. Vellem, praecipue **Lessingius**, qui Plauti causam tam prudenter et diserte egit (Script. ed. Berol. V. XXII. p. 290.), de his versibus quid sibi videretur, aperuisset. Sed alto eos transiit silentio: atque adducor paene ad suspicandum, viro acutissimo suboluisse aliquid de prava huius loci condicione.

Movi iam suspicionem erroris aut in scribendo aut in explicando hoc loco commissi. Quam ut confirmem, de Dossenni nominis significatione agendum est. Dossennum cum omnes fere interpretes, Scholiastam Cruquianum secuti, Atellanarum scriptorem fuisse tradiderint: nos glossae Isidori (p. 12. apud Gothofredum): *dorsenus persona parasitorum*, insistentes, quid ex hac effici possit, tentabimus. Atque haec glossa hactenus ab illo testimonio non plane discrepat, quod etiam ad Atellanas fabulas spectat, quae solae apud Romanos certas quasdam et constantes personas habebant. Atellanae autem quod genus ludorum fuerint, satis multis Atellanicorum poëtarum versibus et antiquorum scriptorum testimoniis, quae nostrates, **Ed. Munckius** et **C. E. Schoberus**, nuper colligere et componere coeperunt, perspicue ostenditur. Natum id erat ex antiqua Oscorum hominum dicacitate et petulantia, et substitit plerumque in pingui quadam et rudi imitatione ridiculorum hominum, quorum genera rusticorum huius ludi inventorum in oculis erant. Hinc fluxerunt nomina Atellanica Macci, Oscae personae (teste Diomede III. p. 487. ed. Putsch.) stupore insignis (Appulei. Apol. p. 325.), et Bucconis, loquacissimi simul et stultissimi (teste Isidoro X, 30. p. 321. ed. Lindemann.), et Pappi, quem Osci Casnarem appellabant (Varro de L. L. VII. §. 29. p. 317. ed. Speng.), senis ridiculi. Quanquam ne in hoc quidem rustico ludorum genere Italica antiquitas ab omni Graecorum contagione intacta et integra deprehenditur. Ac gustu quodam Graecarum artium Opicos hos mature imbutos fuisse, ostendunt figlina, quae per hunc Campaniae tractum reperiuntur multa, Graecis argumentis depicta. Neque desunt in vasculorum picturis, quibus Magnae Graeciae scenici ludi adumbrantur, vestigia constantis certarum personarum usus (de qua re dixi de Doriens. III. c. 7. §. 3.):

quod ipsum Atellanis proprium fuisse creditur. Hinc nominum illorum color quidam Graecanicus unde venerit, fortasse intelligetur. Pappus enim Graecum nomen est, et cognatus maxime Παππoσείληνος ille, satyricae caterviae praesul; Macci autem nomen et significatio haesit in Graeco verbo *μακκοᾶν*; Bucco denique, quanquam a bucca, vulgaris linguae verbo, dictus esse videtur, Graecis non plane incognitus erat ut Βύκκων, qui cur Homeri servus fuisse tradatur, non intelligo, nisi si in Margite, carmine comico, stupido cuidam et loquaci servo hoc nomen tributum fuit (V. Tzetz. Chil. XIII. v. 642.). Etiam Simus, persona Atellanica Graeco nomine dicta, fortasse iam ante Caesarum tempora introducta est (V. Sueton. Galb. 13.). Sed haec in transitu omittere nolebam, ut futuris aliorum curis et cogitationibus commendarentur: nunc redeundum est ad dossennum, quem ex eadem familia cum maccis et bucconibus prognatum fuisse, fusius nunc ostendam.

Novii, Atellanarum scriptoris, fabula erat *Duo doseni*, cuius versum: *Sequimini, praeminate* (*i prae me, nate*, corrigit Dacerius), *sequere, temeti timor*, laudat Festus s. v. temetum p. 275. ed. Lindemann.: quibus verbis parasitum eumque helluonem compellari et temeti timorem dici, iam ab aliis annotatum est. Binas autem eiusdem generis personas in Atellana fabula iungi non sine exemplo est, cum Pomponii maccorum geminorum titulus extet (p. 79. ed. Munck.). Alia eiusdem personae vestigia in Pomponii huius versibus a Nonio servatis indagarunt Mercerus et Munckius. Primum ex Campanis apud Nonium s. v. publicitus p. 515, 9. laudatur versus: *DAT ORDO SENIO* (*SEMIO* est in ed. Venet. a. 1487.) *et fullonibus publicitus cibario*; unde Mercerus rectissime exsculpsit: *dato dorseno* (*dosseno* praetulerim) *et full. publ. cib.* Alter locus ex Macco laudatur a Nonio s. v. verecunditer p. 516, 20.: *Virginem praeteriens vidit DUOS SENSUM in ludo verecunditer Non docentem condiscipulum, verum scalpentem nates*; ubi Munckius probabiliter: *vidit dossenum* (sive *dossennum*). Tertius ex Philosophia extat apud Nonium s. v. memore p. 514, 23.: *Ergo NIDOS SEDNE quum isthaec memore meministi, indica, Qui illud aurum abstulerit. Non didici hariolari*

gratiis; quem Mercerus emendavit: *Ergo, mi dossene* (*dossenne*). Omnia haec dicta, uno excepto cuius turpitudinem non assequor, optime inter se concinunt, si statueris dossennum esse voracem quandam et parasiticam personam, cellae escariae et vinariae timorem et pestem, cui privata cibaria vix sufficere queant, et qui nihil gratiis, sine mercede coenae, facere didicerit. Ac manifestius eiusdem rei testimonium elicui iam ex verbis Varronis de L. L. VII. §. 95. p. 99. Bip. 372. Sp., quae in codicibus bonae notae sic habentur: *dictum mandier a mandendo, unde manducari, a quo in Atellanis AD OBSENVM vocant manducum.* Quo loco cum primum (p. 157. ed. meae) Dossennum poëtam agnoscere mihi visus essem: mox recessi ab ea sententia, cum aliis de causis tum quod Varro pluribus quidem locis Atellanarum fabularum rariora verba apponit, scriptores autem earum expressa nominis mentione non dignatur, ac scribendum esse conieci, in Add. p. 303.: *a quo in Atellanis dorsenum* (s. *dorsennum*) *vocant manducum.* Itaque habemus dossenni synonymum manducum, effigiem Romano populo ab antiquis inde temporibus notissimam, quae magnis malis late dehiscens et ingentem dentibus sonitum faciens in pompa inter ceteras ridiculas formidolosasque species ire solebat (v. Paulus p. 96. ed. Lindemann.). Iamque etiam Iuvenalis versus (Sat. III, 175.) ad quaestionem nostram adhibere licebit:

tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, cum personae pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans:

quos ad Atellanicam personam spectare apertum, et eam quidem, quae variis nominibus dossennus et manducus appellabatur. Exodium enim, quod alias Atellanicum dicitur (Sueton. Tiber. 45. coll. Iuven. VI, 73.), Atellanarum fabularum genus fuisse cum antiqua Romanorum satira mixtum et comoediis palliatis aliisve fabulis scenicis in fine additum (quae sententia est Munckii de Pomponio p. 20.), quanquam in quaestione obscura et ambigua, probabilior tamen opinio est, quam satiras illas Atellanis in fine adiungi solitas et hinc exodii nomen adeptas esse (quam

2

sententiam defendere studet Schoberus de Atellanis p. 10. 33.). Nunc cum dosseni forma et species lineamentis undique arcessitis et compositis satis illustrata esse videatur: unum restat de quo quaeri possit, ipsum nomen. Sed hoc cum a manduco ita differre videatur, ut manducus ex Latina, dossenus ex Osca lingua ductum fuerit, cuius vocibus Atellanae fabellae tam refertae erant, ut Strabo eas totas Osco sermone compositas fuisse sibi persuadere posset: vereor ne temerarius habear, qui etyma vocum ex incognita plane lingua expiscari coner. Attamen Oscorum lingua non sic incognita nobis est, ut de summa inter hanc et Latinam linguam affinitate dubitari possit: et per vulgarem Italorum sermonem multa vocabula sparsa erant, quae a Latinitate, quae proprie dicitur, aliena ad origines Oscas revocari debent. In horum vocabulorum numero esse puto appellationem dosini equi, qui ex interpretatione Isidori (Origg. XII, 1, 54.) dictus est, *quod sit color eius de asino*: ex quo asinum dosinum similive nomine appellatum esse intelligitur. Asini autem, maximis malis et ingentibus dentibus insignis et magni saepe manduconis (quo convicio asinus Appuleii obiurgatur), appellationem a rusticis hominibus ad personam illam qualem proposuimus translatam esse, minime incredibile est. Ipsa autem bestia nomen dossenni accipere poterat a dorso, parte corporis in ea maxime conspicua (unde ὄνου ῥάχις apud Archilochum): quae etiam dossum dicebatur (v. Velius Longus p. 2237. ed. Putsch.), sicut dorsuarius dossuarius, et sparsiones in duobus titulis Pompeianis (apud G. Gellium, Pompei. novae ser. T. I. p. 93.) spassiones, et multa eiusmodi, quae verborum formationi apud Romanos antiquitus inhaeserunt. Quapropter etiam formam *dorsennus*, cui Varronis et Nonii s. v. publicitus codices favent, non plane improbaverim, sed eam ore populi in mollius mutatam et a plerisque *dossennum* pronunciatum esse statuerim. Horatii autem in exemplaribus cum primum editum esset *Dorsennus*: nunc ex codicibus fere omnibus recte repositum esse videtur *Dossennus*.

Iam disputatio eo revocanda est, unde exorsus sum. Dossennum, ostendi, fuisse nomen personae, omnibus Romanis, etiam iis qui nondum aere lavabantur,

notissimum. Eaque persona propria erat Atellanis, alienissima a palliatis, quarum species et condicio tam diversa erat ab illis, ut ridendum se praeberet, qui, quod Trimalchio Petronii facit, comoedos cogeret *Atellàm facere* (Satyric. 53.). Nam in comoedia personae ad veram cultioris vitae formam exprimendae et omnibus, quibus mores et affectus hominum produntur, signis, etiam occultioribus et quae communem visum fallere soleant, distinguendae erant: Atellanae satis erat, personas quasdam singulari aliqua corporis animive deformitate conspicuas ex vita agresti desumptas, deformibus earum lineamentis in immensum auctis, ridendo propinare. Quae cum ita sint, nihil, puto, invenietur, quo Horatius iudicium suum de Plauto fortius pronunciare potuerit, quam quod comicas personas tanquam Atellanicas ab eo tractari, eumque in parasitorum genere plane dossennum quendam esse dixit. Sic licebit, comicum poëtam, qui forte in faceto homine proponendo omnes urbanitatis fines excesserit, ita obiurgare, ut eum in hac persona sannionem et scurram, vel, ut significantiore vocabulo ex Atellanis nostri temporis petito utar, *harlekinum* agere dicamus. Poëtam enim tanquam suarum fabularum actorem ab Horatio produci, etiam quae sequuntur ostendunt, quibus ipse Plautus pulpita percurrere dicitur *). Ac profecto parasiti persona ea est, in qua Plautus omnem veritatem et verisimilitudinem liberrime eludit, atque famem, voracitatem, luxuriam horum hominum ita amplificat, ut belluam, non hominem te spectare credas. Exempla nunc prostant Ergasilus in Captivis, Curculio in Curculione, Saturio in Persa, Gelasimus in Sticho (qui quod se Act. I. Sc. III. v. 88. propter famem nunc Miccotrogum vocari dicit, referri nuper poterat inter vestigia Doricae comoediae a Plauto expressae): Parasitus piger, quae olim inter Plautinas fabulas habebatur,

---

*) Dum similia exempla quaero hominum scenicae personae nomine appellatorum: opportune admoneor Demosthenis, Aeschinem ipsum Οἰνόμαον τὸν Κοθωκίδην appellantis, quod ille hanc personam in Collytensi theatro susceperat, de Cor. p. 288.

tota fuisse videtur in hoc morum genere describendo. Ne autem, cum Baxtero, quendam e Plauti parasitis proprio nomine Dossennum dictum statuas, vetat, praeter structuram orationis, diversa palliatae et Atellanae origo et condicio et antiquorum in servanda peculiari artis cuiusque forma constantia. Poterant quidem, quod Horatius reprehendit, Atellanici mores introduci in palliatam: sed abstinendum tamen erat in palliata ab Atellanicis personis et nominibus. Itaque Horatius consulto parasitum inter Plautinas personas extremo loco, qui in gradatione summus est, ponit, quod in eo illarum fabularum vitium manifestissimum est. Quo facto iam de omnibus Plauti personis iudicium fertur, non adstricto socco eas pulpitum percurrere, id est, certos fines, intra quos quaeque persona coërcenda sit, et tenuia morum et ingeniorum discrimina parum observari. Cuius negligentiae et socordiae veramne causam Horatius in ultimis versibus, quos supra posuimus, aperuerit, huius loci non est quaerere: sed iuvabit in fine eam versuum formam apponere, quam disputando efficere studuimus:

Aspice, Plautus
Quo pacto partis tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi,
Quantus sit dossennus edacibus in parasitis,
Quam non adstricto percurrat pulpita socco:
Gestit enim etc.

Imperfecta tamen relinqueretur haec disputatio, nisi Dossennus poëta, quem ex Horatii epistola exturbavimus, qui homo fuerit et quomodo in societatem eius nominis venisse videatur, explicare conaremur. Qui fieri potuerit, ut hoc Atellanicae personae nomen certorum hominum fieret cognomen (habemus autem praeter hunc Fabium Dossennum etiam Rubrios Dossennos in numis familiarum quos vocant): facile est coniectura assequi. Atellanae enim fabulae cum domesticae essent, non peregre accitae, a civibus Romanis agebantur, ab omni nota liberis, quibus Graecarum fabularum histriones et mimi infamabantur. V. Liv. VII, 2. Valer. Max. II, 4, 4.

Itaque cum Fabio cuidam vel Rubrio ignominiosum non esset, sub persona manduci in scenam prodire, quam ut deponeret Atellanicus actor a spectatoribus cogi non poterat (teste Festo s. v. personata fabula, p. 139.): factum esse videtur, ut nomen personae in hominem transiret, qui ea saepe suscepta et egregie sustentata civibus suis valde placuisset. Non contradico tamen, si quis Rubriis hoc cognomen inhaesisse statuat propter oris quandam deformitatem, ut multa. Sed in Fabio casu accidisse non crediderim, quod idem cognomine suo Atellanica persona, et a Scholiasta, cuius testimonium produximus, Atellanarum scriptor appellatur. Ceterum huius scriptoris tam tenuis et exilis est memoria, ut absque scholio illo si esset, etiam Atellanas ab eo factas esse nesciremus. Nam Seneca, qui epist. 89., ut ostendat antiquiores philosophiam dixisse σοφίαν, haec profert: *Quod et togatae tibi antiquae probabunt et inscriptus Dossenni monumento titulus: Hospes resiste et sophiam Dossenni lege*, eo potius nos ducit, ut togatarum scriptorem illum habeamus. Atque apud Afranium in togata (v. Gellius XIII, 8. Neukirch de fab. tog. p. 249. 280.) Sapientia sic loquebatur: *Sophiam vocant me Graii, vos Sapientiam.* Nec, quae magna illa sophia in Atellanis esse potuerit, satis intelligo. Non magis Atellanae color deprehenditur in versibus, quos Plinius (N. H. XIV. c. 13. s. 15. §. 92.), ubi docet lautissima apud priscos fuisse vina myrrhae odore condita, ex eo poëta adhibet. *Sed Fabius Dossennus*, ait, *his versibus decernit: Mittebam vinum pulchrum murrhinam, et in Acharistione: Panem et polentam, vinum murrhinam.* Itaque hunc Dossennum, facile adducor ut censeam, togatarum potius quam Atellanarum scriptorem fuisse, et cognomen suum non ipsum parasitis agendis meruisse sed accepisse a maioribus: ceterum, quisquis fuerit, alienum esse hunc poëtam ab Horatiana Plauti personarum censura.

* * *

Nunc cum huius coniecturae, cadatne ea an recto stare possit talo, iudicem circumspicio et aequum et peritum: quem invenire possum in omni litteratorum hominum orbe Te, **MITSCHERLICHI**, vir celeberrime, et aequiorem et peritiorem?

Peritiam Horatiani styli et ingenii clarissima Tui nominis monumenta attestantur, quibus primus accuratae eius poëtae interpretationis viam munivisti: in qua per Sermones et Epistolas continuanda etiamnunc non defetisceris. Ac largis illis racemationibus, quibus Tu non nisi maturissimas uvas et quae aliorum vindemiatorum manus fugerunt, decerpis, hanc meam subacerbam *omphaca* adiicere ausus non essem, nisi etiam aequitatem Tuam, Vir venerabilis, diuturno usu cognitam habuissem. Pauca verba dicam, sed ex intimo ea pectore hausta. Quid me, cum ante quindecim annos, Heerenii benigno iudicio commendatus, in hanc illustrem literarum scholam et consortium gravissimorum munerum vocatus essem, ut cui adolescentes annis fere aequales non ex cathedra tantum docendi, sed strenue exercendi et acri disciplina instituendi et interdum etiam castigandi essent, quid me usu et experientia destitutum et quasi in limine titubantem tum erexit et firmiore gradu collocavit, nisi Tua et Dissenii in adiuvandis meis consiliis et prudentia et benevolentia. Haec Tua benevolentia et aequitas nunquam e memoria mea elabetur, et qua pietate constat Te ab omnibus coli, qui seminarii nostri alumni paternum Tuum animum et egregium illud severitatis et mansuetudinis temperamentum experti sunt, ea non minorem, crede, in meo, collegae, pectore infixam esse.

At non privati officii, sed publicae gratulationis praeconem me agere oportet, Tuisque in Tuum honorem vicibus fungi, quae, cum Dissenius noster iniquissima valetudine prohiberetur, mihi hac in re suscipiendae erant. **GEORGIA AUGUSTA**, quae his annis ad metam primi saeculi vitae suae ventura est, post undecim professores, quos propter dimidium saeculum in eo munere transactum salutavit, duodecimam Tuam nunc celebrat πεντηκονταετηρίδα. Quinquaginta enim anni exacti sunt, ex quo **GEORGIUS III.**, rex sacrae memoriae, munus literarum antiquarum in hac universitate publice docendarum in Te detulit, qui, patria Thuringus et Portensis scholae alumnus, Heynii maxime disciplina allectus hic sedes Tuas fixeras. Ex eo inde tempore bonarum artium praeceptor et, cum Heynius eo munere se abdicasset, etiam publicus universitatis nostrae orator, totus fuisti in

hac schola disciplina et exemplo exornanda; neque habuit Georgia Augusta civem Te sibi addictiorem, suisque commodis et honori sollertius prospicientem. Longius in hunc latissimum et iucundissimum campum excurrere vetat et Tuus et meus pudor. Te enim, vir venerabilis, videor mihi conspicere illo supercilio, quo inanes adulationes et iactationes abnuere et reprimere soles, etiam veras has et sinceras laudes aspernantem. Mihi autem Te laudare paene immodestum et inverecundum est, maxime cum malignas vulgi interpretationes reputo, qui magis ad ea, quae omittuntur, quam quae dicuntur, animum attendere solet. Ac fuere sane laudatores, qui praevaricatione quadam laudes magis minuere quam exornare studerent: quo fit, ut hoc totum publicarum laudum genus iam diu prudentioribus sordeat. Verumtamen, quod Georgia Augusta Te nunc hac publica gratulatione salutat, id etiam eo spectat, ut se suae ipsam dignitatis non immemorem esse, neque illam, quam nunc multi Germaniae universitatibus eripere cupiunt, magnorum de genere humano meritorum conscientiam, depondituram se unquam esse significet. Quae conscientia ut in pectoribus nostris firmetur et ab alia ad aliam aetatem transmissa novas semper vires acquirat, is mihi videtur fructus esse horum similiumque solennium longe saluberrimus. Neque nostrae gratulationi aliquid fervoris eo detractum putes, quod viri Te seniores, Tibique aequales, iuvenilis Tuae et virilis aetatis operum testes, plerique nobis erepti sunt, et per ultimos quindecim annos novi multi homines, ex longinquis terris non pauci acciti, in ordines mortibus laxatos successimus. Homines mutati sunt, animus, quo universitates sicut civitates vivunt et florent, spero, non mutabitur. Durat inter nos religiosior quaedam munerum a nobis susceptorum observatio, qua hanc scholam excellere dicunt qui plures viderunt, reipublicae, quae nos indefessa cura sustinet et fovet, caritas a saeculi levitate aliena, pietas denique et reverentia, qua viros de rebus nostris bene meritos colere et suspicere consuevimus. Hac Tuorum et aequalium et iuniorum fide et observantia ut multos annos laetus et lubens fruaris, dilectissime **MITSCHERLICHI**, cum collegis et iuvenibus nostrae disciplinae mandatis communia facimus vota.
